

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Cursus studiorum monasticorum, sive series sublimium disciplinarium - Cod. Ettenheim-Münster 99-110

Logica s. ars cogitandi - Ettenheim-Münste 101 - Philosophia eclecticica

Cartier, Gallus

[S.l.], [18. Jahrh.]

Logica sive ars cogitandi - proemium

[urn:nbn:de:bsz:31-110938](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-110938)

Logica,
Sive
Ars Cogitandi.
Prooemium.

ii.

Logica à voce græcâ *Λογικη* dicta, 6.
Secundum vim nominis disciplinam ratio-
nalem significat seu rationis directricem.
Inde cum ratiocinari solummodo ad men-
tem, cuius nempe, prout suo loco dicemus,
essentiale constitutum sola est cogi-
tatio, pertineat; hinc merito Logicam
Artem cogitandi nuncupamus, qua men-
tis operationes seu cogitationes ad verum
dirigit; unde ab auctore Artis cogitandi
Logica definitur, quod sit Ars bene
utendi ratione in rerum cognitione ac
quirenda tam ad sui ipsius, quam alio-
rum institutionem. Bene autem
ratione nostrâ in acquirenda rerum
cognitione p. uti dicimus, si mentis
nostra cogitationes ad verum dirigantur.

Mentis vero cogitationes, quas ad 7.
verum dirigit Logica quatuor passim
numerantur, quæ et mentis opera-
tiones nuncupantur, perceptio scilicet
seu apprehensio; iudicium; discursum;
et dispositio seu methodus.

Apprehensionem dicimus simpli-
cem rerum, quæ menti sistuntur con-
templationem: sic terram, Solem, ar-
borem, rotundum, quadratum, cogi-
tationem, ens, p. consideramus nihil
exrepe de eis pronuntiantes. for-

12. na autem, sub qua haec considerantur, Idea nuncupatur.

Judicium illam mentis operationem dicimus, per quam varias rerum ideas copulantes, hanc esse illam affirmamus vel negamus. Sic ideam terre, et ideam rotundi considerantes, vel affirmamus vel negamus terram esse rotundam.

Discursum seu ratiocinationem vocamus illam mentis operationem, per quam è pluribus judiciis aliud eliciamus. Sic cum judicavimus veram virtutem ad Deum referri debere, Ethnicos autem illam ad Deum non retulisse; deducimus, virtutem Ethnicorum non fuisse veram.

Dispositionem seu Methodum vocamus illam mentis operationem, per quam varias rerum ideas, judicia, et discursus seu ratiocinationes, quas de uno eodemque subjecto habemus, eo ordine disponimus, qui illi explicando maxime idoneus sit.

8. Haec autem mentis operationes sola natura dicitur eliciuntur, idque nonnunquam perfectius ab iis, qui regularum Logices rudes sunt, quam ab aliis, qui eas didicere. Ad id ut hujus artis opus seu officium non sit modum invenire, quo haec fiant: hoc enim à sola natura habemus, quae rationis usu nos donavit: ita ut ultra peregrinam opem aliquam percipere, judicare, ratiocinari et disponere valeamus. Sed hoc duntaxat

4 præstat Logica, ut nempe actiones nos-^{13.}
tras et operationes examinet, atque circa
illa, quæ in nobis natura operatur, atque
illius instinctu facimus, quædam animad-
versiones faciat, quæ triplicem utilita-
tem continent.

Primò, quia hæc ratione certi
reddimur, nos nostrâ ratione rectè uti,
efficit enim regularum consideratio,
ut tenis et majori attentione iudicia
nostra feramus, atque unum ex alio
inferamus, et disponamus.

Secundò, hæc partò facilius erro-
res et defectus, in quos discurrendo la-
binur, ipsimet detegimus, detectos-
que aliis manifestamus. Soepè enim
accidit, ut solò natura lumine dete-
gamus ratiocinationis alicujus viti-
um et falsitatem, at in quo vitium
et falsitas illa sita sit, non protinus
animadvertamus et sciamus. Quem-
admodum illi, qui artis pictoriae ru-
des sunt, imaginis vitio, quod in eâ
est, interdum offendi possunt, quam-
vis defectum illum, qui ipsos ledit,
illuc detegere et explicare nequeant.

Tertiò, ingenii nostri natura dis-
tinctius nobis innotescit, dum ad illas
actiones, quæ illi propriae sunt, atten-
dimus, et quæ illam infinitis propè
modis supra res corporeas evehunt.
Itaque cum mens humana nonnun-

14. quam patitur sibi falsis imaginibus imponi, et debite attentionis defectu in errores proruat; necessarium fuit quasdam regulas prescribere, quibus in suis operationibus iuraretur ad veritatem certius attingendam. Hinc, ut jam annotavimus, totius Logice Scopus est, ut doceat, quomodo ratione nostrâ uti nos oporteat, et quâ evidentia imbuere debeamus ad assentiendum vel dissentiendum rebus, quæ menti nostræ per ideas obijciuntur.

9. Quod si ea, quæ circa cogitationes nostras mente agitamus ad nos solos referri debuissent; satis profecto fuisset illa in semetipsis considerare, nec verborum tegumentis, aliove signorum genere amicta exhibuisse; nunc autem, cum animi nostri sensus aliis manifestare non possumus nisi externorum signorum beneficio, tantumque invaluerit hæc consuetudo, ut etiam, cum soli meditamur, res ipsæ non nisi unâ cum iisdem nominibus et verbis, quibus utimur, dum illas aliis manifestamus, menti nostræ offerantur; quâdam necessitate impellimur ideas considerare, prout nominibus, quæ vulgò termini minuantur, et verbis, quæ nomina conjungunt, unde et copula dicta, subsunt; ipsa autem nomina et verba

quatenus sunt cum ideis seu perceptio- 15.
nibus nostris connexa.

Ex his liquet, Logicam in qua- 10.
tuor partes dividi oportere pro consi-
derationum diversitate, quo de his qua-
tuor mentis operationibus instituantur.
Prima agit de ideis seu de simplici rerum
perceptione. Secunda de iudicio seu pro-
positionibus, quibus veritas vel falsitas
inest. Tertia de disursu seu Syllogis-
mo. Quarta denique de Methodo, seu
de ordinata cogitationum nostrarum
dispositione; quibus veluti tot gradi-
bus cognoscendi modum nobis compa-
ramus: quippe per primam ab incon-
siderantia ad attentionem promove-
mur; per secundam à dubio et erro-
ribus liberamur; per tertiam ra-
ticipinari assuescimus; et per ulti-
mam veritatem aliquam infallibili-
ter probamus, et illam aliis demons-
trative persuademus.

In hisce explanandis igitur
totum Logices nostrae Studium collo-
cabinus. Verum priusquam ul-
terius progrediamur ea etiam
circa Logicam generatim spectatam
videntur emulcanda, quo vulgò
sub prolegomenorum nomine et
titulò præmitti ac disquiri solent:
nempe quoniam sit illius necessi-
tas et utilitas ad alias Scientias et
disciplinas? Quodnam ipsius objec-
tum? An Scientia sit, an verò

10. ars duntaxat, vel utrumque simul? An
practica an verò speculative? Quo-
modo demique in se ipsa distinguatur?
Duo singulis paragraphis expendimus.

ii

* De utilitate et necessitate
Logices ad alias Scientias.

* Vid. Enchirid. Philosophic.
Cognitio prima
in Logica n. 1. et seq.

Utilitatem et necessitatem Logi-
co expendentibus nobis Sermo non est
de Logica illa, quam naturalem vo-
cant, quæque est vis illa rationis, no-
bis à natura insita, quæ mens nostra
cogitationes suas disponit et cogit in
ordinem; vel quæ sponte sua et
iura disciplinam aliquam ratioina-
tur. Sed de Logica illa, quæ arti-
ficialis nuncupatur, atque usu et ex-
ercitatione variisque circa mentis
cogitationes seu operationes ex re-
gularum præscripto factis observa-
tionibus acquiritur.

Hæc Logica in tanto apud Ve-
teres pretio fuit, ut eam velut divi-
num quendam à coelo afflatum sus-
pexerint; eosque supra humanam
sortem erectos arbitrarentur, qui illi-
us præceptis essent imbuti, aut iis ad-
disendis faciles se præberent. Hinc
varia illi indidère nomina, et digni-
tatem ab illius utilitate metientes,
illam modo Scientiarum Organum, mo-
do mentis oculum appellavere p.

Pono magnam illius ad ceteras ^{17.}
Scientias in Statu perfectō acquirendas ^{12.}
utilitatem, imō quodammodo necessi-
tatem, præter ea, quæ hæc de re jam
adnotavimus, commendant et com-
probant sequentia argumenta:

Primo. Homo constat corpore
et animâ, quibus singulatim sua
sunt infirmitates et incommoda.
Ergo sicut medicina corpori studet
et ægrotudines, quibus urgetur, depel-
lit; ita etiam Scientia seu ars est
investiganda, quæ ægræ menti au-
xilietur, ejusque tenebras discutiat.
Atque talis est Logica: hæc enim,
ut ex Suprà memoratis liquet, ani-
mi seu mentis Sanitati consulit.
Ergo sicut medicina ad corporis ægri-
tudines propulsandas, et ad vitam cor-
poream est necessaria et utilis, ita
etiam Logica ad animi seu mentis
ægrotudines procul arcendas, et ad
spiritualem ipsius vitam non minus
necessaria videtur: imō illius mor-
bi magis sunt indagandi, quanto
animus seu mens nobilitate corpus
excedit, quantoque illius morbo-
rum principia magis latent, et
rarius discutiuntur.

Secundo. Notum est, nullam
nobis ab origine nostrâ inditam spe-
scientiam, sed illas non nisi magnō
labore à nobis comparari, et per Ma-

18. quos nos doceri, in usque addiscendis variis erroribus esse obnoxios. Ergo methodus aliqua videtur esse nobis necessaria, cuius ope errores nostros corrigamus, et defectus nostros emendare conemur. Subsumo, atqui haec est Logica, quippe qua regulas tradit, quarum ope mens nostra veritatem in ceteris Scientiis detegit, cogitationes suas ita dirigendo, ne in illius investigatione erret. Ergo p.

Tertio. Una est Logica, quae aliarum disciplinarum demonstrationes possit expendere, easque ad regulas et leges demonstrationum, quas ipsa tradit, exigere, nec solum quae ad materiam, sed etiam quae ad formam demonstrationis pertinent, cognoscere; cavillationes denum adversariorum refellere. Ergo Logica artificialis est necessaria ad huiusmodi Scientias in statu perfecto acquirendas.

19. Ob: Logica naturalis seu vis rationis à natura nobis insita ad id sufficere videtur, nempe ad Scientias etiam in statu perfecto acquirendas; quippe cui peculiaris est, rerum naturas cognoscere, et rerum à falso discernere. Ergo Logica artificialis non videtur necessaria ad reliquas Scientias et disciplinas in statu perfecto acquirendas.

Resp. Logica naturalis seu vis ipsa rationis à natura nobis insita laudem parum ad veritatem assequendam confert, ac proinde Logica artificiosa fundamenti loco est; ipsa tamen non sufficit, nisi praesertim adiuvetur, et arte

6
10

perficiatur. Quemadmodum licet cui-^{19.}
que homini innata sit pingendi e.g. faul-
tus, tamen ad imagines formandas ars
requiritur; ita etiam, licet ratio natu-
ralis nobis omnibus sit ingenta, non
tamen diu debet sufficiens actionibus ani-
mi dirigendis; cum, illa etiam posita,
in multos adhuc errores labamur, atque
infantis nostre praeiudiciis laboremur.
Proinde Logica artificialis ad medendos
animi morbos et imbecillitates in rebus
percipiendis, errores minime, confu-
siones, et obscuritates conceptuum nos-
trorum, iudicia falsa et incerta, de-
nique in malis argumentationibus ille-
gitimas consequentias, non modo utilis
sed et necessaria diu debere videtur, ut-
potè quibus cognoscendis, abigendisque
tota occupatur.

In forma igitur Resp. Dist. ant.
Logice naturali peculiare est rerum na-
turas cognoscere, et rerum à falso secer-
nere, ita tamen ut soepius in iis cognos-
cendis et secernendis erret, et à verò de-
flectat, con. ant. Ita ut nunquam
erret et à verò deflectat, neg. ant. et
cons. Solutio patet ex dictis.

Inst. 3^o Cetera disciplina non 14.
Sunt ipsa Logica artificiali difficiliore.
Atqui tamen sola natura duce Logica
artificialis comparatur; nec enim
datur Logica Logica. Ergo cetera quo-
que disciplina sine Logica artificiali
per solam naturalem ingenii vim, qua

20. Logica naturalis est, comparari possunt.

Resp. Dist. maj. Cetera disciplinae non sunt ipsa Logica artificiali difficiliore, et hoc provenit ab ipsa Logica artificiali, ut potè quae ipsis principia subministrat, quibus adjuvantur, ne in suis cognitionibus et demonstrationibus errent, falsumque pro vero amplectantur, cone. maj. Et hoc aliunde provenit, neg. maj. et neg. min. p.

Certè si quis sint disciplinae Logicae ipsae faciliores, profectò suam facilitatem Logica artificiali debent, quippe cuius regularum adminiculò facilius veritatem in suis considerationibus et operationibus sciantur et inveniant. Et quamvis eundem solà naturà ducit Logica artificialis, non tamen sine maximo et diuturno labore, olim à veteribus Philosophis ope variarum circa mentium harum cogitationes et operationes considerationum sensim comparata fuerit, ipseque Aristoteles primus Logicam ad certas quondam regulas et praecepta

* Pleraque tamen reducere: nemo tamen inficias ierit, Logicae artificialem modo solà naturà ductam ceterarum disciplinarum principia et praecepta à tim à discipulis admodum juvenibus, quorum mens variis infantia praedictis ad huc obfuscata est, prout experientia docet. Inst. 2^o. Logica artificialis praecepta ab ipsa mente per attentam eorum, qua in se ipsa peraguntur, considerationem fuerunt inventa. Ergo etiam ceteras disciplinas sine Logica artificiali, et per solam naturalem Logicam comparare poterit.

Resp. Dist. cons. Ergo etiam ceteras
 Disciplinas sine logica artificiali, et per solam
 Logicam naturalem comparare poterit, ut-
 cumque et valde imperfecte, cons. plene
 et perfecte, neg. cons. Nos Logicam
 artificialem ad reliquas Scientias et disci-
 plinas in Statu perfecto acquirendas ne-
 dum omnino utilem, sed et necessariam
 adstruimus; non vero ut ea imperfecte
 duntaxat, et utcumque acquirantur,
 prout sibi et, antequam precepta Logice
 inventa fuissent, eas antiqui possidebant,
 quippe, qui teste Aristotele, illorum de-
 fectu sepius in huiusmodi Scientiis et dis-
 ciplinis raluinati sunt p.

Corollarium.

Ad solvendas ceteras objectiones, quae
 hic fieri possent, notandum; quod quidpiam
 ad aliquam necessarium multipliciter dici possit;
 1.º Metaphysice ita ut istud sine illo abso-
 lute, nulloque pacto, imo nec supernaturali-
 ter acquiri possit. 2.º Physice et natu-
 raliter, ita ut etiam natura vivibus ha-
 beri non possit sine illo. 3.º Moraliter,
 ita ut res aliqua absolute et naturaliter
 quidem, non tamen sine magna imo ma-
 xima difficultate, absque alia acquiri
 possit. Hoc ultimo modo duntaxat Lo-
 gicam artificiosam ad reliquas Scientias
 et Disciplinas in Statu perfecto acquiren-
 das necessariam adstruimus. Enimvero
 mens humana, prout jam indicavimus, sine
 huiusmodi Logica adminiculo inter ratio-
 cinandum in varios errores et lapsus impingit,
 et non sine maxima difficultate eos detege-
 re potest.

S. 2. Quis

Quodnam et quotuplex sit objectum
 Logice?

* In mentem revocatis iis, quae supra

21.
~~intra imperfectionem~~
~~habere, per se ipso~~
~~per se ipso~~
~~per se ipso~~
~~per se ipso~~

Fuit Cynus Secta Phi-
 losophorum, qui Peri-
 patetici, id est, obam-
 bulantes, quod obambu-
 lando ab eo institueren-
 tur, dicti sunt. Sta-
 gira cuiusdam Macedo-
 niae urbe oriundus per-
 hibetur Olympiade
 99. ante Christum an.
 384. ciriter, mortu-
 us vero Olympiade 114.
 Id. ab Urbe Roma condita
 an. ciriter 432. ante
 Christum 253. ata-
 tishua 63. Scriptis
 suis magnam famam
 apud omnes Philoso-
 phos sibi peperit, sed
 hodie eam reche-
 menter imminuta
 est; prout adnota-
 vimus, et ex dicendis
 per totam Philoso-
 phiam nostram ad-
 huc magis apertum
 fiet.

17.

* Vid. inf. Enervitat. Phi-

22. in Philosophia nostra proëmio de objecto
Cosmologie. Enarrat. 2. de logi-
ca. n. 7. et seq.

illius locuti sumus, facile intelligimus,
quodnam sit Logica objectum. Enim-
vero cum disciplina alicujus objectum
Statuatur idud, circa quod ipsa unice
versatur, atque propter se ipsum attin-
git, Logica vero munus unicum sit men-
tis cogitationes ad verum dirigere, adeo-
que circa eas, prout ad verum dirigen-
das, unice ipsa versatur; hinc patet, illius
objectum esse eadem, prout ad verum diri-
gendas. Sit ergo

18.

Conclusio.

Quatuor mentis cogitationes seu
operationes, quatenus ad verum dirigen-
da sunt objectum totale seu ad aqua-
tum Logica.

Prob: Objectum adequatum dis-
cipline alicujus est illud, quod præcipue
et primario, necnon proprio et ratione
sui, non autem ratione alterius, ab ipsa
spectatur. atque quatuor mentis cogi-
tationes seu operationes, quatenus ad
verum dirigenda à Logica præcipue,
primario, necnon proprio, et ratione
sui ipsarum, non autem ratione al-
terius spectantur seu considerantur.

Ergo p. Major est certa, ut po-
te que definitionem objecti ad aqua-
ti seu totalis cujusumque discipline
generatim continet. Min. prob.

Idco tantum instituta est Logica, id-
que unicum illius munus est, ut de qua-
tuor mentis cogitationum seu opera-
tionum speciebus ad verum dirigendis

cartas tradat regulas. Ergo eas proprie et 23.
primario, nec non proprie et ratione hui
ipsarum duntaxat, non vero alterius spec-
tat: consequenter sunt illius obiectum
adaequatum et totale.

Confirmatur. Obiectum adaequa-
tum seu totale alicujus disciplinae
est illud, quod ei commensuratur, id
est, quod tantum patet, quantum
illa: quod ei speciem et distinctio-
nem tribuit, et ad quod omnia, quae
in ea tractantur, referri oportet, et
revera referuntur. Atque quadru-
plex mentis cogitatio seu operatio ut
ad verum dirigenda, tantum patet,
quantum logica ipsa; hanc ab omnibus
aliis scientiis et distinguit; eo denique
referuntur omnia, quae in logica tradun-
tur; eo tendunt regulae omnes et pra-
cepta logicae. Ergo obiectum adaequa-
tum seu totale logicae sunt quatuor
mentis cogitationes seu operationes,
ut ad verum dirigenda.

Ob: Prima mentis cogitatio 19.
seu operatio, perceptio nempe, a Lo-
gica ad verum dirigi non potest.
Ergo nec illius obiectum esse valet.

Prob. ant. Perceptio proprie falsi-
tatis capax esse non potest. Ergo
nec ad verum a logica dirigi potest.

Resp. neg. ant. ad eius prob.

Dist. ant. Perceptio falsitatis capax
esse nequit ratione hui, conc. ratione
subsequentis iudicii, neg. ant. Licet
perceptio ex se ipsa falsa non sit, po-

24. tunc tamen esse causa seu potius occasio-
falsi iudicii; unde ut id evitetur, ne-
cessa est, ut et ipsa à Logica ad verum
dirigatur.

20. Ad solvendas reliquas objectiones,
quae contra Conclusionem nostram affor-
ri possunt, hoc duntaxat est notandum,
quod omnia, quae alii Statuunt tan-
quam Logicae objectum, vel sint ipsae
mentis cogitationes ad verum dirigen-
dae, vel ad eas, ut ad verum dirigen-
das, referantur.

Ex dictis patet etiam, quod nam
sit objectum materiale et formale
Logicae; primum enim sunt quatuor
mentis cogitationes seu operationes;
Secundum vero sunt eadem mentis
operationes quatenus scilicet ad verum
dirigenda, ex quibus duobus objectis
resultat et constat objectum illius ad-
equatum seu attributionis.

§. 3^{us}

21.

An Logica sit Scientia spe-
culativa, an vero practica et ars?

* Vid. Emerit. Philos. Emerit.
3. ex log. n. 21. et seq.

* Quomodo virtus moralis
voluntatem, sic virtus intellectualis
mentem perficit: illa ad bonum, haec
ad verum nos ducit, atque vulgò quin-
tuplex numeratur: Intelligentia,
quae est primorum principiorum co-
gnitio; cuiusmodi sunt, impossibile
est idem simul esse et non esse. To-
tum est majus sua parte ip. Sapientia,
quae res altissima cognoscuntur;

ut sunt Deus, Angeli, et ceteri creati 25.
Spiritus: haec enim sunt res altissimo, ut
quae corporeas longe superent, atque his
multo eminentiores sint. Scientia,
quae cognoscimus res per causas seu ra-
tiones necessarias. Sic rotunditas est
causa seu ratio necessaria, ut circulus
dicatur esse rotundus: sic etiam affir-
mo me existere dum cogito, quia in idea
cogitantis necessario comprehenditur
idea existentis. Prudentia, quae
est recta ratio rerum agendarum, ut
Domus aut alterius operis. Ars de-
nique, quae ab Aristotele definitur,
habitus cum vera ratione effectivus,
et ab aliis, cognitio practica eorum,
quae industria effici possunt; adeoque
opus externum molitur: efficere enim,
si nomen ipsum spectes, idem est ac
extra facere. His praenotatis sit

Conclusio prima.

22.

Logica est Scientia proprie dicta.

Prob. Scientia est, quae res cognosci-
mus per causas seu rationes necessarias
et immutabiles, seu, quod idem est,
Scientia est cognitio certa et evidens,
per demonstrationem acquisita, vel
cognitio rei necessaria per suas causas.
Atque talis est Logica. Ergo Logica
est Scientia proprie dicta. Maj. est
definitio Scientiae. Min. prob. Logi-
ca plures habet, et efficit demonstra-
tiones: multa enim circa definitio-
nem, divisionem, et Argumenta-

26. tionem demonstrat; nec solummodo
trahit regulas definiendi, vel dividendi.
Sed etiam rationes certas et leges bonae
et accurate definitionis, Divisionis,
ne non argumentationis offert et
probat: ut quod definitio constare
debeat genere et differentia; quod
clarior esse debeat re definita; quod
divisio distinctam rei cognitionem
efficiat; quod tres tantum termini
debeant esse in syllogismo, &c. Ergo
Logica est cognitio per demonstrationem
acquisita, &c. adeoque scientia proprie
dicta.

23. Ob: Scientia est de rebus necessa-
riis. Atqui ea, de quibus agitur in Lo-
gica, non sunt necessaria, possunt
enim fieri aut non fieri. Ergo Logi-
ca non est scientia proprie dicta.

Resp. Dist. maj. Scientia est de
rebus necessariis, quantum ad essentiam
seu connexionem Subjecti et praedicali,
conne. quantum ad existentiam, neg.
maj. Ad scientiam non requiritur,
ut idius objectum necessarium existat;
Soli enim Deo convenit, ut necessarium
existat: Sed satis est, ut necessaria
connexio sit inter Subjectum et praedi-
catum, quo in scientia considerantur.
Sic semper verum est, virtutem con-
sistere in medio; nihil concludi ex
duabus negativis propositionibus. Nec
moralis seu Ethica de hujus hominis

Q S
13

singularis virtute, sed de virtute in 27.
universum; nec Logica de Syllogismo
aliquo singulari, et quem quispiam enun-
tiat, sed generatim de eo suas demons-
trationes efficit, sive pronuntietur
talis Syllogismus necne; adeoque ex
hypothesi, quod fiat Syllogismus,
demonstrat, idum constare debere
tribus iuxtaxat terminis et tribus pro-
positionibus.

Conclusio 2^a

24.

Logica est Scientia practica.
Prob. Illa est Scientia practica, qua
per se tendit ad opus, nec in sui objec-
ti contemplatione quiescit. Atqui
Logica est huiusmodi: non enim na-
turam, leges, et proprietates defini-
tionis, divisionis, et argumentationis
tradit, ut in iis sistat, sed eo potissi-
mum tendit, ut regulae, quas tradit,
ad usum adhibeantur: neque ulla est
Logica pars, qua cogitationes seu opera-
tiones mentis per certas regulas aut pra-
cepta ad veritatem non dirigat. Ergo
Logica est Scientia practica.

Confirm. Eadem est ratio mo-
ralis Philosophiae seu Ethicae, qua Logi-
ca; nam sicut illa circa voluntatis
actiones, ^{ut} ad bonum dirigendas, sic Logi-
ca circa mentis actiones ut ad verum
dirigendas versatur. Atqui Ethica
est omnino practica, ut omnes faten-
tur. Ergo et Logica.

Dices: ^o Vox illa Scientia practica 25.

28. inaudita est apud antiquos, et manifestam involvit contradictionem: nam Scientia objectum est omnino necessarium; quod autem sub praxim venit, est contingens, idque potest bene aut male fieri. Ergo.

Resp. neg. ant. Nam Aristoteles lib. 2. metaph. c. 1. Philosophiam vocat Scientiam veritatis; tum addit: Speculativa enim finis est veritas, practica autem opus. Neque omne illud, quod sub praxim venit, est contingens nisi quoad existentiam, non vero quoad essentiam; prout in responsione ad objectionem contra ipsam Conclusionem explanatum est.

26. Dices 2^o. Operationes seu cogitationes mentis sunt facultatis cognoscentis. Ergo sunt Speculationes quadam, atque adeo Logica, quae circa eas occupatur, erit Speculatrix non practica.

Resp. neg. ant. vel Dist. Operationes mentis sunt facultatis cognoscentis simul et operantis, cone. cognoscentis tantum, neg. ant. Operationes seu cogitationes mentis, quatenus sunt dirigibiles per certas regulas et immutabilia principia, non sunt pura Speculationes, Sic Definitionis cognitio, quae ad efficiendam Definitionem tendit, non est pura Speculatio, nisi ratione rei definitae, quae tantum cognoscitur. At si regula ipsa et leges Definitionis spectentur, ea ratione definitio practica dici debet.

Conclusio 3^{ta}

29.

Logica etiam Ars dici potest. 27.

Prob. Ars est recta ratio rerum faciendarum. atque Logica est huiusmodi: constantes enim et perpetuas definiendi, dividendi, et argumentandi regulas tradit, has quoque ad usum applicat. Ergo nihil ei deest ad rationem Artis: praesertim cum sit practica, et regulas, quas praescribit exequatur: unde et à nobis optimè definita est, Ars bene utendi ratione: Artem enim dicimus virtutem mentis, quae directrices regulas et nunquam errantes complectitur, quas consulimus, cum agimus: quod utique Logica praecipuò quodam jure convenit, cum rationem ipsam dirigat et perficiat.

2
14

Ob. 1^o. Omnis Ars versatur circa 28.
opus Sensibile. atque nullum est opus Sensibile Logica. Ergo nec ipsa est Ars.

Resp. Dist. maj. Omnis Ars servilis et mechanica versatur p. cone. Omnis Ars liberalis, cuiusmodi est Logica, versatur p. neg. maj. et cone. min. Dist. consequens, Ergo Logica non est Ars servilis, cone. Liberalis, neg. consequentiam.

Ob. 2^o. Idem habitus Scientia et 29.
Ars esse non potest. atque Logica est Scientia. Ergo Ars dici non potest.

Resp. Dist. maj. Idem habitus Scientia et Ars esse nequit eodem respectu, vel sub eadem ratione, cone. Sub diverso respectu et ratione, neg. maj.

30. Sic Logica, quatenus demonstrat sui
objecti proprietates, est Scientia Theo-
rica: quatenus vero certas regulas pra-
scribit, eatenus est practica, atque Ar-
tis nomen sibi etiam vindicat: nam
mentis actiones artificiosè disponit,
ac perficit: unde fatemur, eundem
habitu non esse simul Artem et Sci-
entiam Speculativam; Sed nihil im-
pedit, quominus sit Ars simul et
Scientia practica.

30. Ob. 3^o. Jisdem Logica utitur
principiis, quibus utuntur Scientia
Speculativa; quale est idud artificii
Sylogistici fundamentum, quacun-
que sunt eadem uni tertio sunt eadem
inter se. Modò Speculativò etiam
procedit: artificiosa enim dispositio
illa Sylogismi extra intellectum non
procurrit, et in solà cognitione sistit:
actiones vero intellectus ad praxim
non pertinent, sed omnes Scien-
tia essent practica. Ergò Logica
non est practica, neque adeò Ars
dici potest.

Resp. neg. cons. Quaedam enim
principia possunt esse Logica et Scien-
tiis Speculativis communia, sed non
divisio Logica inter Scientias Speculati-
vas est numeranda. Sic Geometria
practica iisdem utitur principiis, qui-
bus Geometria Speculativa. Quan-
do autem objicitur, modum procedendi

Logica esse speculative, et actiones men-^{31.}
tis non esse practicas, distinguendum est,
actiones ut eliciuntur ab intellectu, et
tendunt ad veritatis cognitionem, non
sunt practicae, cone. ut certis praeceptis
et regulis formantur, non sunt practi-
cae, neg. Quae distinctio ubique pene
est adhibenda.

§. 4^{tus}

31.

Quomodo Logica in se ipsa
dividatur, seu quotuplex sit?

* Logica communiter dividit^{ur} in Docentem et Utentem. Illa
praecepta et regulas tradit, quibus in
recte percipiendis, iudicandis, et ratio-
cinandis dirigimur: Haec regulas
istas ad usum applicat. Cum ratio-
ne sui spectatur, et ut est Ars bene
differendi seu utendi ratione, vel
ut Tullius definit, Ars veri et falsi
disceptatrix, et iudex, Docens no-
minatur: Sed cum ad alias disci-
plinas refertur, qua illius opera-
ntur, tum Utens appellatur.
Nunc quaeritur, an Logica Do-
cens et Utens unus et idem sit habi-
tus; an vero ad diversos specie habi-
tus utraque pertineat? Sit

* Vid. Exercit. Philos.
Quaest. 4. in Log. n. 34
et seq.

Conclusio 1^{ma}

32.

Si Logica usurpetur pro aliis
disciplinis, qua ipsius praeceptis utun-
tur, tum Logica Docens et Utens sunt 3
diversi habitus. Prob. Logica
Utens sic accepta complectitur om-

32. nes Disciplinas, quae penes diversa obiecta, seu materiam unicuique illarum subiectam inter se se differunt. Ergo Logica Utens eo modo accepta non est cum Logica Docente unus et idem habitus.

Conclusio 2^a.

33.

Cum Logica Utens accipitur pro eâ facultate, quae Docentis regulas ad usum applicat, tunc specie non differt à Docente, sed unus est et idem habitus. Prob. Ubi non sunt diversa difficultates, ibi nihil necesse est, diversos specie habitus comminisci. Atqui in doctrinâ et usu præceptorum, quae in Logica traduntur, non sunt diversa difficultates, ut patet: enimvero Logica Docens tradit regulas et præcepta, quibus utitur Logica Utens, estque eadem facultas et intellectus, qui illas præscribit et eis utitur. Ergo non sunt diversi specie habitus.

34.

Ob. 1^o. In omni arte aliud est rectè præcipere, aliud exequi. Atqui Logica Docens præcipit tantum et dirigit; Utens vero exequitur. Ergo Logica Docens et Utens sunt habitus distincti.

Resp. Dist. maj. In omni arte p. cum præcipere et exequi pertinent ad diversas facultates, cone. Cum unus et ejusdem sunt facultatis, neg. maj. Hinc Logica Docens et Utens supponuntur esse ejusdem facultatis p.

Inst. Qui regulas Logicae optime^{33.}
novit, non idcirco eis semper bene utitur.^{35.}
Ergo Logica Docens est ab Utente diversa.

Resp. Dist. ant. Non bene utitur
regulis propter materiam, quam igno-
rat, defectu scientiae alicujus, conc.
propter regulas ipsas, quasi difficile
esset eas ad usum applicare, neg. ant.
Qui in re proposita non potest Logi-
ca regulis uti, difficultas, quam expe-
ritur, non oritur ex ipsa Logica, sed
ex materia, de qua vult differere,
et quam non bene intelligit.

Ob. 2.^o Logica Docens ratio - 36.
nem habet scientiae, Utens vero ratio-
nem artis. Atqui scientia et ars
sunt duo, non autem unus et idem
habitus. Ergo p.

Resp. Dist. min. Non sunt unus
et idem habitus eodem respectu et
munere, conc. Diverso respectu aut
munere, neg. min. Itaque Logica Do-
cens et Utens non sunt specie diversi
habitus, sed officiis tantum distincti:
ut homo, cum diversa obit munera,
diversaque sortitur nomina. Et
haec de Logica generatim dicta
sunt. Nunc singulas ejus partes
expendimus.